



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Instructio Practica ...

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè  
instituenda - Complectens vatios & solidos modos juvandi & consolandi  
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

**Lohner, Tobias**

**Dilingae, 1677**

Memb. II. Quid post latam sententiam sit observandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48248)

quamcunque sententiam de manu Judicis non aliter atque de manu ipsius DEI accipiendam se præparet.

V. Adhortetur illum sedulo, ut hoc tempore à DEO is subsidium animæ concessio utatur serio, sapius eliciat actum contritionis (quem in finem, si rudis sit reus, proderit conceptis verbis præire, aut quærere ex ipso, num doleat de peccatis, eò quòd DEVM velut summum bonum super omnia à se dilectum tam graviter offenderit) imitetur SS. pœnitentes, ut Latronem in cruce, S. Mariam Magdalenam &c. quorum historias proderit recensere: suadeat insuper, ut incommoda, quæ justitia injungit, DEO offerat pro peccatis suis, Christi doloribus uniat, pro animabus purgantibus pœnas suas, aut certè pro proprijs peccatis offerat.

## M E M B R U M II.

Quid post latam sententiam sit observandum.

I. Cùm hoc in articulo versetur cardo salutis, Operari DEVM sibi & DEO placare, omni, quo potest, modo studeat, orationibus, pœnitentijs, & subsidio spiritali ab alijs etiam expetito.

II. Ante omnia disponat Reum ad sententiam justitiæ æquo animo suscipiendam; ipse verò Reo non significet sententiam, sed per Ministros justitiæ significari curet, ex quibus ubi eam intellexerit, tum primùm conetur eum potentibus argumentis ad patientiam & resignationem excitare; inter quæ argumenta primarium jure merito locum habet Christi patientis exemplum, quod proinde assiduò ipsi ob oculos ponendum est, perque illud omnes tentationes, quæ, sive ex genere, sive causa, sive alijs circumstantiis mortis decreta oriuntur, solvendæ. Proximum ab hoc locum habet SS. Exemplum, maximè eorum, qui simili genere mortis obierunt, aut qui imbecillitatem sexûs fortitudine sua superârunt. horum ergo velut agmen obijciendum est Rei animo, simulque illa S. Augustino olim facta admonitio adjicienda: poterunt isti & istæ, & tu non poteris? Vehementer etiam ad leniendum Rei dolorem prodest, si singularis DEI erga ipsius bonitas clarè demonstretur, quâ ei gratiam fecit, quam Mauri-

tritus Imperator olim pro speciali beneficio habuit ( dum scilicet illi optio facta est, commissum scelus in hac aut altera vita luendi ) & multis millibus hominum sceleratorum Deus non concessit, utpote quos misera & improvisa morte in sceleribus obire permisit. Hortetur ergo, ut pro tanto favore non tam verbis, quam ipso opere gratum sese exhibere conentur Reus, atque ad mortem fortiter subeundam tantò accuratius se disponere studeat, quantò plura & efficaciora ipsi mèdia DEVS ad hunc finem concessit, puta plenum rationis usum, carentiam dolorum corporis, præsentiam & adhortationem continuam Sacerdotis, præscientiam horæ mortis, agonis breviteratem, & similia, quæ proin paulò clariùs ei explicanda sunt. Tandem plurimùm conducet, bene explicare, quàm terribilem sententiam, coram quanta multitudine auctore, quàm gravia, eaque æterna tormenta sustinere debeant damnati, quæ & ipse promeritus quidem fuisset, sed nunc in mitiorem mutata sunt pœnam. Fortiter ergo sustineat illam, gratiasque DEO agat, quòd tam clementer cum illo procedat; exclamet proin cum S. Augustino: *Domine hîc urs, hîc seca, modo parcas in æternum.* Non sunt condignæ passionis huius temporis ad damnatorum pœnam, quæ revelata est nobis.

III. Ante omnia Confessionis & Evcharistiæ Sacramenta ritè suscipienda erunt. Pro Confessione autem hæc notanda sunt ex Laymanno lib. 8. Tract. 6. c. 5. Primum. Secundum probabiliorem sententiam reum non esse obligatum ad manifestandum crimen morte vel mutilatione dignum, si intelligat, illud plenè probari non posse. Secundum, post latam à Iudice sententiam desinere in Reo obligationem confitendi criminis, quod antè, quamvis injustè, negarat, quia finito iudicio finitur etiam obligatio Rei. Tertium est, Reum ad vitanda gravia tormenta posse sine peccato crimen etiam capitale sibi imponere, quia vita non est digna, ut tanto dolore servari debeat; imò posse etiam jurare æquivocando, docent teste Diana p. 3. tr. 5. ref. 7. communiter Doctores cum Navar. hinc absolvi potest. Quartum, si notetur eum in tortura, vel aliàs detulisse innocentem, obligari ipsum debere ad restitutionem famæ, maximè si innocentibus delictis impenderet periculum vitæ. Quintum est, ipsam mor-

tem Reo in pœnam scelerum commissorum solere imponi, unde levis ipsi pœnitentia à Confessario imponi potest. Sextum est, enitendum esse Sacerdoti, ut, si Reus odium aliquod in Judicem aut partem adversam, aut testem habeat, id omne ex animo ejusdem evellere studeat.

IV. Si Confessarius satis manifestè intelligat, damnatum esse innocentem, ordinariè tacere debet, nec monere Judicem ob tres causas. Prima est, quia communiter frustra monebit, cùm Judex secundùm allegata procedat. Secunda est, si innotescat semel, tali modo Reum esse liberatum, timendum erit, ne alij sacrilegè crimen in confessione celent ob similem spem mortis evadendæ. Tertia est, quia si plerum Reorum Confessiones audiens dicat, hunc vel illum esse innocentem, de reliquis verò taceat, Judex colliget, reliquos esse reos, & crimen esse confessos.

V. Reo per Confessionem expiato, & SS. corpore Domini refectò præter Confessarium, & ejus socium non expedit plures cum eo conversari; ipsi verò de nulla re alia loquantur, nisi quæ ad salutem pertinet, omnem sermonem de amicis, parentibus &c. præcidentes.

VI. Ultra duas horas colloquium non protrahatur, ut quies utrique detur ad respirandum; consulendum tamen hoc in re ipsius Rei voluntati & necessitati, qui, si exoptet tale colloquium produci, parendum erit. Ut verò fastidium caveatur, proderit cum eodem nunc de rebus pijs loqui, nunc recitare Rosarium, aut Litanjas, aut alias preces; nunc familiariter admonere, ut quiescat, se interim dicturum horas, & in suis orationibus fore ejusdem memorem; nunc Reo quasi dilectissimo, cum adstantibus de rebus sacris loqui, recensere accommodatas temporis historias, maximè de aliquibus Reo generosâ morte defunctis.

VII. Ultima nocte imminente admonebit Reum, ut dormiat, ne timor mortis imminentis hominem nimis debilitet, & indispositum reddat diei sequentis necessariis admonitionibus, & imparem doloribus exantlandis. Expedit autem dormienti adesse quendam, qui, si necesse sit, consolari queat, quia tunc magis crescunt tentationes & desolationes.